



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

259. An aliæ religiones gaudeant privilegiis concessis Societati IEVS cum
limitatione, ne illis aliqua religio communicet? Et ideo per privilegia
concessa dictæ Societati possint alii Regulares ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

23. Alios verò, post nostræ Congregationis fundationem, vota essentialia emittendi privilegium à Sede Apostolica obtinuisse, quòd si tali pacto Clericorum Regularium ordines enumerare liceret, plures ego recentere possem quam ipse Barbosa, sed quia conditiones requisitas non habent ante nostrum, illos non agnoui.

24. Collect. 164. 202. Ioannem Petrum Carafam, postea Paulum IV. fuisse ordinis institutorem, nulla facta memoria de B. Caietano aliisque duobus insignibus Viris Bonifacio à Colle, & Paulo Consiliario, asserit, quod quidem valde displicuit, præsertim cum opus post solemnem Thienæ Beatificationem sit impressum.

25. Agnoscat quidem nostræ Congregatio Carafam institutorem, & gloriatur eum se habere patrem, attamen non ipse fuit à quo primus spiritus reformationis Cleri in cæteros emanavit, sed B. Caietanus Thienæ, qui re cum Bonifacio à Colle communicata, eoque rem probante, ac se socium affertente, Tertius deinde adiunctus est Carafa Archiepiscopus Theatinus, qui ad nos instituti nuntium incalescens, statim Thienæ conuenerat auidè cupiens ab eo in socium admitti, quod & factum est. Quartus deinde adiunctus est Paulus Consiliarius indiuiduus Carafæ Comes, sicque quatuor fuere nostri ordinis conditores, licet autem Carafæ nomen in Apostolicis litteris cæterorum nominibus præferatur, hoc idè agitur, quia ipse alios dignitate præcelleret, cum & Episcopalia munia etiam cum in ordine esset, exerceret; hinc de illo Seardeonius dixit: Episcopi opes non opus reliquisset.

26. Hoc autem Thienæ primatum non auferit in fundatione, præterea Auctorum multitudo primum locum tribuit Thienæ, & ex iis qui Carafam præponunt, plures rem processisse fatentur vt narraui.

27. Tertio ex processu canonizationis Thienæ clarè patet cum cæteris præferendum. Hinc in Apostolico Diplomate Beatificationis, & in Romano Martyrologio absolute ponitur B. Caietanus Thienæ Clericorum Regularium fundator nulla facta mentione reliquorum, non ergo erat reticendum à pio viro Beati Caietani nomen, imò Carafæ præferendum.

28. Cum verò, vt dixi, aliqui Auctores primatum Carafæ tribuant, excusandus erit Barbosa si illorum innixus auctoritati Carafam tantum nominauit. Cæterum non ambigo quin si denuò scripturus esset, laudem Thienæ debitam minimè denegaret.

29. Collect. & num. eodem, dicit Theatinos primum cepisse in Ecclesia S. Syluestri in Monte Quirinali Urbis, hoc est contra nostri ordinis Chronologos & præcipuè Caracciolum, qui asserit primam nostræ Congregationis domum fuisse ad Campum Martium via Leonina, quam inhabitarunt Patres per biennium; deinde à Martiniana domo ad aliam sub monte Pincio positam se contulere vsque ad cladem Borbonicam, ob quam Roma excedere coacti sunt, hisque concordant nostra Diaria, ac antiquæ tabulæ, quæ apud nos asseruantur.

30. Collect. & num. eodem addit; Ob Urbis inuasionem Duce Borbonio Patres Venetias fugisse anno 1532. non fugerunt nostri, quia in Urbis direptione carceres, vincula, & ludibria plurima ob Christum perpeffi sunt; sed vt ait Caracciolum, Vrbe excedere coacti sunt, causa verò discessus apud nostros scriptores P. T. inueniet.

31. Quòd verò eorum discessio fuerit anno 1532. manifesti erroris conuincitur Barbosa ex Tusc. cap. 111, & Caracciolo in Thien. fol. 212. & aliis nectum nostri ordinis Scripturibus, sed etiam exteris. Cum enim nostrorum Patrum discessus fuerit anno Borboni-

cæ Cladis, Clades verò Borbonica fuerit anno 1537. non est cur transferatur ad annum 1532. vt vult Barbosa.

32. Concludit numero citato Collect. his verbis. Redierunt Romam anno 1560. qui etiam est contra veritatem: Patres enim nostri Romam redire anno primo Pontificatus Pauli IV. qui eis dono dedit dimicilium S. Syluestri montis Quirinalis, cuius possessionem iniere B. Ioannes Marinonius, qui etiam Archiepiscopatum Neapolitanum reuoluit, Bernardinus Scotus postea S. R. E. Cardinalis, & Paulus Consiliarius præfectus Pontificij cubiculi, Vaticanæ aedis Canonicus, vnus ex quatuor ordinis conditoribus, & Frater germanus Cardinalis Consiliarij, Romam ergo sunt reuersi anno 1555. non autem anno 1560. vt notat Barbosa: videatur Tuscus cap. 4. Castaldus in Paul. IV. Caracciolum in Paul. IV. vbi manuscripta, cum quibus etiam concordant antiquæ tabulæ S. Syluestri.

Dicit hic Paternitas Tua, quomodo ergo excusari poterit noster Barbosa.

33. Respondeo hic etiam excusari, sequitur enim Scriptores, qui ante ipsum in his decepti sunt, inter quos Flavius Cherubinus in Compen. Bullarum anno 1533. Bulla incip. *Dudum pro parte vestra*, fol. 2. vbi aperte eadem habet quæ Barbosa, vnde videtur ea Barbosa accepisse; quare excusatione dignus est, neque enim existimare potuit, Flaviuò apertissimo errore deceptum, cum in Vrbe Flavius degeret, & faciliter veritatem assequi potuisset. Ergo Barbosa bono animo scripsit, vera se scribere existimans, & que gratias referre debemus; aliis enim in locis honorifice de nostro loquitur ordine. Hæc sunt quæ Epistolæ Paternitatis tuæ de Barbosa inquirentis, respondere visum est, interim Paternitatis Tuæ Benignissimum nomen precor. Vale.

RESOL. CCLIX.

An alia Religiones gaudeant privilegijs concessis Societati Iesu cum limitatione, ne illis aliqua Religio communicet?

Et ideo pro privilegijs concessa dictæ Societati possint alij Regulares ordinari absque interstitijs, & extra tempora, & absque examine de cantu ab Episcopo, & similia.

Et notatur, quod quando Pontifices concesserunt privilegia Societati Iesu tali modo, vt subdit illius non communicent illis, nisi concedantur illis à suo Generali, hæc limitatio non ligat alios Regulares, sed in consilio suo Generali gaudent illis privilegijs. Ex p. 3. tit. 1. Ref. 81.

§. 1. Negatiuè respondet Pater Suarez l. 8. de leg. 1. c. 17. prope finem. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Rodriq. in 99. Regul. tom. 1. q. 55. art. 17. & Ioan. de la Cruz de statu Relig. l. 2. c. 4. §. 2. & ideo pro privilegijs concessa dictæ Societati possunt alij Regulares ordinari absque interstitijs, & extra tempora, & absque examine de cantu ab Episcopo, & similia; & hoc propter amplam confirmationem, & extensionem privilegiorum concessorum à sequentibus Pontificibus alijs Religionibus.

2. Nota verò, quòd omnes concedunt, quòd quando Pontifices concesserunt privilegia Societati Iesu tali modo, vt subdit illius non communicent illis, nisi concedantur illis à suo Generali; hæc limitatio non ligat alios Regulares, sed in consilio suo Generali gaudent illis privilegijs. Vide Mirandam in manuali Pral. tom. 2. q. 46. art. 5. ad finem. Portel in dub. Regul. ver. Priu. communicatio. n. 23. Suarez, Rodriq. ubi supra.

RESOL.